

conservationem totius, quam sui ipsius: sic manus naturaliter se exponit ictui, ut servet caput. Neque etiam est questio de amore elicitio indeliberato, & necessario: nam, & hoc amore omnis creatura rationalis amat Deum prae omnibus quasi in confuso, & sub ratione summi boni, & beatitudinis ut sic, quam in omnibus quaerit: quia tamen rationem summi boni in Deo contineri distincte non cognoscit nisi per discursum, ideo Deum distincte cognitum illo amore necessario, & indeliberato naturaliter non amat super omnia. Itaque questio est solum de amore deliberato, quo homo Deum distincte cognitum amat ut ultimum finem suum, & summum bonum.

Sed iterum iste amor deliberatus est duplex: unus imperfectus & inefficax, quia est solum complacentia de Dei bonitate, non inferens media ad placendum Deo, neque removens impedimenta peccatorum: alter est perfectus, & efficax, vi sua inferens media ad placendum Deo, & removens omnia, quae repugnant ejus amicitiae. Et iterum duplex: unus efficax quoad affectum tantum; alter efficax quoad effectum, & effectum. Amor efficax affective tantum est simplex actus voluntatis, quo homo se, & omnia refert in Deum ut ultimum finem cum proposito ipsi per omnia placendi, & removendi omnia, quae ipsi displicent, quod est Deum super omnia appreciative amare. Amor efficax effectivus non est singularis actus, sed est executio dicti propositi, seu actualis observantia mandatorum naturalium; si omnium, dicitur effectivus simpliciter; si aliquorum tantum, effectivus secundum quid.

Certum est ex dictis art. praeced. hominem lapsam cum solo concursu generali sine speciali gratia superaddita posse diligere Deum dilectione imperfecta & inefficaci; quia ut diximus §. ult. cum bonum naturae non sit penitus extinctum per peccatum, potest homo propriis viribus cum solo concursu generali, qui tamen sit specialis respectu individui, ut explicatum est facere aliquod bonum morale facile, qualis est ille amor inefficax, & imperfectus Dei cognitum per lumen naturale in ratione summi boni. Quantum ad amorem efficacem effectivum saltem simpliciter, patet ex art. seq. hunc non posse esse sine speciali gratia auxilio, quia complectitur actum totius legis naturae observantiam, ad quam requiritur specialis gratia, ut probabimus.

Finaliter itaque questio nunc est de amore Dei ut auctoris naturae efficacis affectivae, hoc est, de illo simplici actu voluntatis, quo Deum distincte cognitum amat appreciative super omnia; se, & caetera ad eum ut ultimum finem referens, & proponens absolute illi per omnia placere, & fugere omnia, quae illi displicent. Omissa opinione erronea Baji, & Jansenii, qui non agnoscunt amorem Dei naturalem, de qua initio articuli, quidam Theologi existimant hominem lapsam posse viribus naturalibus sine gratia reparante diligere Deum super omnia amore naturali affectivae efficaci, qui tamen non sit gratiae aut gloriae meritorius. Pro hac sententia citantur Scotus, Gabriel, & quidam alii; sed praesertim Molina, qui docet hominem lapsam non solum posse viribus naturalibus diligere Deum super omnia ut naturae auctorem, sed etiam postquam imbutus fuerit doctrina fidei, posse pariter viribus naturae ipsum diligere ut auctorem gratiae quoad substantiam, licet non quoad modum supernaturalitatis, quem dat charitas; at, dum se ad hunc amorem determinat, & conatur, Deum infundere charitatem, qua iste amor fit supernaturalis quoad modum. Pro explicatione verioris, & communioris sententiae

Dico (Hic q. 109. art. 3. o.) Homo lapsus non potest solis naturae viribus sine gratia reparante diligere Deum super omnia dilectione affectivae efficaci. Prob. 1. auctoritate 1. Aug. Ep. 107. dicit *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Serm. 15. de verbis Apost. c. 11. *Deus non amatur, nisi de Deo*. Ita centies alibi.

Neque responderi potest cum Adversariis, Aug. loqui de dilectione Dei supernaturali. Non enim Pelagiani, contra quos agit Aug. adeo erant hebetes, ut assererent dilectionem Dei supernaturalem posse elici solis viribus naturae, cum id implicet in terminis. Intelligebant ergo illi, consequenter Augustinus, de amore Dei super omnia casto, & sincero, non supernaturalis; at de illo dicit S. Doctor libr. de grat. & lib. arb. c. 18. quod, si hunc asseramus viribus liberi arbitrii, *vicerunt Pelagianus; si gratiae Dei, vicimus Pelagianus*. Mens S. Doctoris adhuc magis elucescit ex l. 11. de civit. c. 25. ubi laudat Platonem, quod castum Dei amorem a Deo nobis infundit dixerit. Certum est autem Platonem non intellexisse de amore Dei per fidem cogniti, aut habente modum supernaturalitatis. 2. Conc. Arausicanum II. Can. 25. sic definit contra Pelagianos: *Credere debemus, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attentatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea diligere Deum sicut oportuit, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiae praevenierit*. Non contendebant autem Pelagiani, ut modo dicebam, Deum posse diligere sine gratia amore supernaturali, sed naturali.

Neque te moveat haec clausula, *sicut oportuit*: quia 1. qui casto & sincero amore diligit Deum ut auctorem naturae super omnia, cum diligit, sicut oportet in eo ordine. Haec ergo clausula excludit a naturae viribus amorem Dei affectivae efficacem, & relinquit illis aliquos affectus inefficaces, quibus non amatur Deus, sicut oportet. 2. Quia Concilium repetit impotentiam amandi Deum sine gratia, non ex supernaturalitate actus, sed ex infirmitate naturae per peccatum: ergo intelligit etiam de amore naturali; quia impotentia ex supernaturalitate actus jam erat ante peccatum. 3. Concilium Trid. Sess. 6. Can. 3. explicans hanc particulam, *Sicut oportet*, subdit, *ut justificationis gratia conferatur. Si quis dixerit, inquit, sine praevenienti Spiritus S. operatione, atque ejus adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pariter, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*; atqui fieri non potest, ut diligenti Deum super omnia ut naturae auctorem justificationis gratia non conferatur; alioquin quomodo iret iste homo, si in hoc statu moreretur? Non in vitam aeternam; quia non datur nisi justificatus per gratiam: non in damnationem aeternam; quia enim credit Deum diligentes se ex toto corde, & super omnia aeternis addicere supplicis? Vel ergo fingenda est cum Pelagianis beatitudo naturalis inter Regnum caeleste, & damnationem, quod est reprobatum ab Ecclesia. Vel admittendum sic diligenti Deum ex toto corde conferri gratiam justificationis, proindeque diligere Deum, sicut oportet. Insuper ex principiis Molinae, quocum res nobis est, facienti, quod in se est, ex viribus naturae, Deus non denegat gratiam; ille autem faceret, quod in se est: ergo consequeretur gratiam.

3. Est expressa sententia S. Thom. loco in margine cit. his verbis: *Homo in statu naturae integrae non indiget dono gratiae superaddite naturalibus donis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam suam*.

Respondent quidam, S. Thom. loqui de amore efficaci effectivae simpliciter. Sed contra 1. De amore efficaci effectivae agit S. Doctor art. seq. ubi quaerit, utrum mandata Dei possint impleri sine gratia? 2. Ex toto contextu articuli evidens est, ipsum loqui de actu simplici voluntatis, quo quis ita amat Deum, ut ad ipsum sui, & caeterorum dilectionem referat, & quo adimpletur praecipuum charitatis: adimpletur autem praecipuum charitatis per simplicem actum voluntatis, etsi postea contingat violari. Ratio ejus, quae sequitur, probat de actu amoris efficacis affectivae. Unde

Prob. 2. ratione (Ibid.) Potentia infirma, corrupta, & curvata in bonum proprium contrarium divino non potest exercere erga Deum actum praestantissimum potentiae sanae, nisi sanetur; atqui voluntas hominis lapsa est infirma, & curvata in bonum proprium contrarium divino, & amare Deum super omnia amore efficaci affectivae est actus praestantissimus potentiae sanae; continet enim virtualiter totius legis naturalis impletionem, & voluntatem efficit rectam circa omne appetibile: ergo.

Dices, hac ratione probari dumtaxat pro amore Dei efficaci effectivae, seu pro ipsa adimplentione legis requiri gratiam, sed non pro voluntate adimplendi: sic quavis gratia supernaturalis requiritur, ut consecrem, non tamen ut velim consecrare: similiter, licet requiratur speciale donum ad actu perseverandum, non tamen ut velim efficaciter perseverare: ergo similiter. R. N. Assumptum. Ad 1. exemplum disparitas est, quod consecratur non sequatur vi mea intentionis; sed vi verborum supposita intentione; quia non intentio consecrandi, sed verba consecrationis elevatur ad hunc effectum: at actualis impletio legis sequitur vi volitionis efficacis adimplendi; unde pari bonitate gaudent, & eadem gratia indigent. Ad 2. exemplum disparitas est, quod donum speciale non requiritur ad posse perseverare, sed tantum ad actu perseverandum: unde possum velle perseverare sine tali dono; quia volitio efficacis supponit quidem actum possibilem, se non semper necessario conjunctum: gratia autem est necessaria, non solum adimplentionem actum totius legis, sed etiam ad potentiam adimplendi: unde non possum velle efficaciter adimplere sine gratia, quia non datur volitio efficacis ad impossibile.

Si petas, in quo consistat haec infirmitas, & corruptio naturae, qua voluntas fit incapax assurgere propriis viribus ad amorem Dei super omnia? R. Ex dictis supra de status naturae consistere in aversione a Deo ut ultimo fine, non solum supernaturali, sed etiam naturali; peccatum enim offendit Deum etiam ut Auctorem naturae & legis naturalis: item in deordinatione concupiscentiae, quam Diabolus auget, & inflammat in suis mancipiis.

Obj. 1. S. Thom. in 2. D. 33. q. 2. art. 2. ad 5. agnoscit in pueris sine Baptismo decedentibus aliquem Dei amorem, item in demonibus 1. p. q. 60. art. 5. ad 5.

R. S. Thom. loqui de amore innato, aut elicitio necessario, quae

quo quis se amando necessario amat id, a quo pender in esse & conservari, non de amore libero & amicitia, de quo hic est questio. Aut, si loquatur de amore libero in infantibus, intelligit de amore imperfecto, scilicet de quadam complacentia circa Deum ut principium boni naturalis. Neque fas est de mente S. Thom. dubitare, cum conclusio & ejus probatio sint ex ipso.

Obj. 2. Intellectus hominis lapsi potest propriis viribus apprehendere & judicare Deum ut summum bonum & super omnia amabilem; atqui amor sequitur judicium: ergo potest naturaliter amare Deum super omnia. R. 1. D. Maj. Intellectus potest propriis viribus judicare Deum esse super omnia amabilem, judicio speculativo & in communi, C. Judicio practico & movente ad actum, N. Amor autem sequitur judicium practicum, non speculativum. Unde illud Medez apud Poetam: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*. (Hic art. 2. ad 3.) 2. N. Conseq. quia homo magis est vulneratus in voluntate per quam peccatur, quam intellectu.

Inst. Potest homo lapsus naturalibus viribus sic amare aliquid bonum particulare, puta castitatem, patriam, amicum, ut etiam vitam fundat pro ipso, ut pluribus exemplis constat: ergo a fortiori propter Deum summum bonum. R. 1. ad Ant. eos, qui pro aliquo bono particulari mortem appetere, plerumque ad id mandando motivo, puta famam, aut gloriae, fuisse inductos. Quod si puro virtutis particularis motivo ita se gesserint, tribuendum est speciali Dei auxilio. Unde Aug. ut jam vidimus, bona gentiliam opera inter dona Dei reputat. R. 2. N. Conseq. plus est Deum amare super omnia, quam diligere honestatem alicujus virtutis supra vitam: ad primum enim requiritur, quod homo, non unam virtutem, sed omnes virtutes super omnia sensibiliter diligit, & quod habeat appetitum rectum ex omni parte & circa omne appetibile: at, quod quis sit ita bene affectus erga unam virtutem, ut vitam fundat pro illa, non sequitur quod sit aequè bene affectus circa omnes. Contingit enim, ut qui mortem oppetit pro Patria, pro fide amico servanda, &c. nonit aut pellicem dimittere, aut inimico parere. Sic Lucretia parata mori pro servanda castitate passa est eam in se violari metu infamiae.

Petes 1. Quae sit gratia, quam requirimus in homine lapsio ad diligendum Deum super omnia; an sit ordinis naturalis, an supernaturalis? R. Per se, & attenda praecise ratione objecti directi, esse naturalis ordinis; quia dilectio Dei ut auctoris naturae est entitativè naturalis, sicut ipsum objectum: sed per accidens & indirectè ratione elevationis ad ordinem supernaturalem est supernaturalis. 1. Quia, ut loquitur S. Thom. hic, debet esse gratia reparans & sanans corruptionem peccati, scilicet aversionem a Deo: non potest autem sanare aversionem a Deo ut auctore supernaturali: quoniam simul sanet aversionem a Deo ut auctore naturali: foret enim monstrum, quod homo esset conversus ad Deum ut auctorem naturalem, & maneret aversus a Deo ut auctore supernaturali: ad conversionem autem ad Deum ut auctorem supernaturalem requiritur gratia supernaturalis. Unde Apost. Rom. 7. *Quis me liberabit, &c. Gratia Dei per Jesum Christum*. 2. Amor Dei ut auctoris naturalis super omnia importat voluntatem implendi totam legem naturalem; lex naturalis praecipit obedire cuivis superiori legitime praecipienti, & Deus ut auctor supernaturalis praecipit quaedam supernaturalia: ergo amor Dei ut auctoris naturalis indirectè includit voluntatem adimplendi praecipua supernaturalia, ut non displiceat Deo ut auctori naturali; atqui ad hujusmodi voluntatem requiritur gratia supernaturalis: ergo.

Ex hac ultima ratione videtur sequi, quod homo, etiam postquam est justificatus, indiget gratia supernaturali ad diligendum Deum ut auctorem naturae. Neque tamen inde inferas, omnem Dei amorem fore supernaturalem, nullum purè naturalem: quia gratia supernaturalis, quam requirimus ad amorem Dei ut auctoris naturae, non se habet ut principium elicitive illius, sed ut removens ejus impedimenta, & quae displicerent Deo ut auctori naturae, siquo non impedit, quin sit actus merè naturalis, cujus nempe principium elicitive & objectum directum & primum sunt quid naturale.

Dices: Saltem inde sequitur, quod homo in statu innocentiae, in quo etiam erat elevatus ad finem supernaturalem, indigebat gratia supernaturali superaddita ad diligendum Deum super omnia, eadem enim utrobique est ratio; quod tamen est aperte contra S. Thom. disertè pronunciantem hic art. 4. o. *Homo in statu naturae integrae* (per naturam integram certò intelligit naturam innocentem, qualis fuit in Adamo) *non indigebat dono gratiae superadditae naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis*. R. N. Illationem: ad Prob. D. Eadem utrobique est ratio quoad supernaturalitatem gratiae, C. Quoad superadditionem gratiae viribus naturalibus, N. Homo enim in

statu naturae justitiae originalis non indigebat juxta S. Thom. gratia superaddita donis naturalibus ad diligendum Deum super omnia, sed tantum auxilio Dei moventis: istud autem auxilium fuit Dei moventis naturaliter & supernaturaliter, & hoc non negat S. Thom. & sic, quamvis amor Dei ut auctoris naturalis ratione elevationis importet per accidens & indirectè aliquid supernaturale, ad illud sufficiebat istud auxilium Dei moventis sub utraque ratione auctoris & naturalis & supernaturalis.

Petes 2. Utrum homo in natura pura indigisset gratia speciali ordinis naturalis ad diligendum Deum super omnia ut naturae auctorem? R. Probabilis hominem in natura pura potuisse Deum ut naturae auctorem diligere super omnia cum solo concursu generali; qui tamen respectivè ad hunc hominem fuisset specialis & gratuitus, ut explicuimus: quia in natura pura voluntas hominis non esset per peccatum corrupta & a Deo aversa, siquo posset suis viribus sub generali Dei motione actum sibi proportionatum & suae formae conformem elicere, qualis est dilectio Dei ut auctoris naturalis. Ita censet S. Thom. Quodlib. 1. art. 8. & hic in arg. sed contra. Et quamvis mens S. Doctoris non semper certò eratur ex argumento, *Sed contra*; ita tamen, quando illud non solvit, aut nihil contrarium docet in corpore articuli.

ARTICULUS V.

Utrum homo lapsus possit sine speciali gratia omnia legis naturalis praecipua implere?

Quamvis hujus Questionis resolutio ex praecedentibus habetur: diximus enim art. 3. §. 3. hominem lapsam posse sine speciali gratia superaddita aliquid bonum morale facere; & art. praecedenti, non posse sine gratia speciali mandatum de dilectione Dei implere: ex quibus sequitur, quod homo lapsus sine gratia speciali possit aliquid legis naturalis praecipuum implere, sed non omnia. Quidam tamen dicunt hanc questionem procedere abstrahendo a praecipuo dilectionis. Quid sit; ut necessitas gratiae ad servanda praecipua magis innotescat, specialiter cum Auctore praesentem instituis quæstionem. Pro cujus intelligentia nota praecipua legis posse dupliciter impleri, scilicet quantum ad substantiam, & quantum ad modum. (Ibid. art. 4. o. & q. 24. de verit. art. 14. o.) Quantum ad substantiam, quando actus, qui praecipitur, totus quidem fit, non tamen eo modo quo intendit Legislator: sicut, qui eleemosynam facit, aut aliena reddit, non ex charitate aut intuitu Dei ad salutem, sed ex aliquo alio fine, vel malo vel impertinente ad ista opera. Quantum ad modum, quando actus, qui praecipitur, fit ex charitate & fructuose ad salutem. Hanc distinctionem esse cum Auctore admittendam, & non esse commentitiam & explodendam, ut dixit Bajus, constat ex ejus proposito, §. 8. damnata a SS. Pontificibus. Hoc notato, ut certa ab incertis supponamus.

Suppono 1. Nullum praecipuum sive supernaturale, sive naturale posse impleri quoad modum, ut scilicet fiat ex charitate & meritorie ad vitam aeternam, sine gratia supernaturali; quia iste modus est supernaturalis, actusque praecipuorum etiam naturalium elevat ad ordinem supernaturalem. Suppono 2. Nullum praecipuum supernaturale in quovis statu posse impleri etiam quoad substantiam sine gratia supernaturali. Dicuntur enim praecipua supernaturalia, quia praecipunt actus, qui superant vires naturae.

Si dicas cum quibusdam, id esse verum de praecipuis supernaturalibus praecipientibus actus internos, ut credere, sperare, diligere; non verò de praecipientibus actus externos; quia Haereticus confitens exterius fidemysterii Trinitatis, urgente praecipuo, implet praecipuum de confessione externa fidei quoad substantiam, nullo auxilio supernaturali, adjuncto: similiter qui in peccato mortali suscipit Baptismum, adimplet praecipuum de suscipiendo Baptismo quoad substantiam, idque sine gratia supernaturali cum peccet: ergo. R. N. Assumptum. Quia actus externus praecipuus, vel est supernaturalis, vel non. Si sit supernaturalis, ergo supra vires naturae; si non sit supernaturalis, ergo non est praecipuum supernaturale. Dicitur enim praecipuum supernaturale, quod aliquid supernaturale praecipit. Ad 1. casum, N. Haereticum, adimplere quoad substantiam praecipuum de confessione externa fidei, quia non confitetur fidem divinam, quam non habet, & de qua est praecipuum, sed humanam tantum. Ad 2. R. suscipientem Baptismum in peccato mortali adjuvari auxilio supernaturali: Velle enim suscipere Baptismum est credere in Christum, est velle induere Christum, velle fieri ejus & Ecclesiae membrum; quae fides & intentio, cum sint supernaturales, requirunt gratiam supernaturalem. Neque obstat, quod peccet, non enim adjuvatur ad peccandum, sed ad id, quod est materiale & physicum in peccato, scilicet ipsa susceptio Sacramenti: sicut, qui actum fidei



vincat omnes tentationes, connaturaliter requiritur, quod sit habitualiter bene dispositus per gratiam sanctificantem.

Obj. 1. Quaedam exempla Gentilium, qui contra gravissimas tentationes steterunt pro virtute. R. Ut autem, illos, vel non amore virtutis, sed glorie, vel alio motivo humano has tentationes superasse. Vel si amore virtutis, id non fuisse absque speciali Dei auxilio; & ideo Aug. l. 4. contr. Jul. c. 3. & Ep. 130. hæc gentilium bona opera Dei dona reputat.

Obj. 2. Homo in quovis statu, & casu potest non peccare; liberè enim peccat, alioquin foret excusabilis: ergo etiam in statu, & casu, in quo non habet gratiam: R. etiam ut ante, D. consequ. (Hic art. 4. ad 2. & art. 8. ad 1.) Potest non peccare in statu, & casu, in quo non habet gratiam potentia physica, C. Potentia morali, subdistinguo: per gratiam, quam non habet, sed quam potest habere, & quæ ipsi offertur, C. Potest sine gratia omnino tam recepta, quam oblata, N. Potentia physica est libertas arbitrii, qua homo potest peccatum eligere, vel respicere; & hanc potentiam habet homo in quovis statu, quia non extinguitur per peccatum. Potentia moralis est, quæ dat facultatem bene utendi potentia physica, seu libero arbitrio, removendo impedimenta, ex quibus sequeretur abusus potentie physice. Hanc non habet peccator, nisi sanetur per gratiam: gratia autem illi offertur, nec deest nisi sua culpa. Pro ampliori solutione hujus argumenti, quod sæpe dedit in presenti materia, consule, quæ dixi in Tract. de Deo, Dissert. 7. art. 8. & Dissert. 8. art. 4. §. 3.

Obj. 3. Ex nostra sententia sequitur, quod homo, existens in peccato mortali, teneatur statim ponere, quia alioquin semper erit in periculo novum peccatum committendi. Falsum Consequens secundum S. Thom. & Thomistas: ergo & Ant. R. N. Sequelam; quia tunc tantum teneatur homo vitare periculum peccandi orando, vel penitendo, quando est certum, & determinatum; secus quando est vagum, & indeterminatum, quæ est in presenti casu; tunc quia non semper occurrunt occasiones peccandi, & graves tentationes: tunc quia incertum est, & indeterminatum, quæ diu homo peccator possit subsistere sine novo peccato: tunc tandem, quia Deus hujusmodi peccatoribus subinde juvat, ne peccent. Cæterum, si apparet certum, & proximum periculum peccandi, puta ex gravi tentatione, non nego tunc peccatorem teneri ad ponendum.

#### §. II. Utrum homo iustus possit sine speciali privilegio vitare omnia peccata venialia?

Dico: (Hic art. 8. o.) Homo iustus cum ordinariis gratiæ auxiliis sine speciali privilegio potest vitare singula peccata venialia; non potest tamen diu vitare omnia. Prima pars est certa: (Ibid.) Quia, si homo non posset vitare singula peccata venialia sine speciali privilegio, quod nec datur, nec offertur, ista peccata non haberent rationem voluntariæ, nec peccati, aut homo obligaretur ad impossibile. Prob. 2. pars: 1. Ex Script. 3. Reg. 8. Non est homo, qui non peccet. Eccles. 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Jacob. 3. In multis offendimus omnes. 1. Joann. 2. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Prob. 2. ex Conciliis, & Patribus. Concil. Milevit. can. 6. sic habet: Placuit, quod ait S. Joannes Apostolus: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Et can. 7. Quicumque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere sanctos: Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant... sed pro aliis, qui sunt in populo peccatores... anathema sit. Quo duplici decreto perstringitur duplex evasio Pelagianorum, qui dicebant iustos se fateri peccatores, non rei veritate, sed humilitatis causa, aut quia sunt pars populi, qui est in peccato. Concil. Trid. Sess. 6. can. 23. Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. Totus est Aug. in asserenda ista veritate contra Pelagianos, præsertim l. 2. de nat. & gratia, ubi c. 36. dicit: Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo questionem... si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hinc viderent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato? Quid fuisse responsuros putamus... Nonne una voce clamassent? Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.

Prob. 3. Ratione. (Ibid.) Quamvis gratia sanctificans sanet hominem quantum ad mentem, remanet tamen corruptio appetitus sensitivi, unde exurgunt frequentissimè inordinati motus contra rationem; atqui ratio, licet possit reprimere si-

gulos (ex quo habent, et dictum est, rationem peccati, & voluntarii) non potest tamen reprimere omnes, quia diu uni resistere nititur, sæpissimè alius insurgit; neque ratio potest semper esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos, & coercendos: ergo. Si ergo consideretur quodlibet peccatum veniale seorsim, & secundum se, potest homo cum auxiliis ordinariis gratiæ illud vitare; & cum sic occurrant vitanda, de illis sic vitandis datur præceptum: at si consideretur unum post aliud, & sic diu continuando, & simul attendatur ex una parte vis, multitudo, & frequentia tentationum, ex alia parte infirmitas potentiarum naturalium, quæ ex continua pugna fatigantur, fieri non potest moraliter loquendo, quin homo in aliquo indeterminate deficiat. Hæc enim continuatio summam importat difficultatem, ad quam vincendam requiritur specialissima gratia, qua arbitrii instabilitas firmetur, sanetur infirmitas, recreetur fatigatio, & liniatur fastidium. Et quia hæc impotentia non respicit aliquod peccatum determinatè, sed aliquod indeterminatè, & in confuso, dicitur, quod homo possit omnia vitare divisivè, id est, quodlibet secundum se, & seorsim consideratum, non omnia collectivè, id est, unum post aliud continuando usque ad ultimum. Ex his solvuntur argumenta a ratione.

#### Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. ex Scriptura Joann. 3. dicitur: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit... & non potest peccare. Ad Philipp. 3. & Ps. 118. quidam commendatur ut perfecti & immaculati. Matth. 5. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est: ergo possibilis est ista perfectio. R. ad 1. sensum esse, justum nec peccare, nec posse peccare venialiter, quatenus agit ut iustus, seu ex gratia qua iustus est. Vel secundum Aug. l. 2. de peccat. merit. c. 7. & 8. intelligenda est sententia Apost. de illo, qui natus est Deo nativitate, seu regeneratione consummata & perfecta in Patria. Ad 2. dicuntur immaculati, & perfecti, non quia nullam omnino habent maculam, sed quia nullam lethalem criminis maculam habent, & sic vivunt, ut quamvis leves quasdam maculas contrahant, cito tamen ab eis mundantur. Responsio est Aug. libr. de perfect. justitie. Ad 3. Deus præcipit his verbis, ut perfecti simus eo perfectionis genere, cuius homo in hac mortali vita est capax. Proponit ergo perfectionem Patris cælestis, non ut assequendam, sed pro modulo nostro imitandam.

Obj. 2. Si homo non possit omnia peccata venialia vitare sine speciali privilegio, quod Deus non est paratus dare; ergo ad aliquod committendum necessitatur: ergo illud committendo non peccat: nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest, ut ait Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 18. R. D. Primum Consequens: ergo ad aliquod peccatum veniale committendum vagè, & indeterminatè necessitatur, C. Ad aliquod particulare, & determinatum, N. Undè patitur, N. secundum Consequens. Ut enim homini imputetur peccatum, sufficit, quod possit quodlibet determinatè secundum se, & prout se offert hic, & nunc vitare, licet ad aliquod vagè, & indeterminatè necessitatur, seu, ut committitur dicitur, licet non omnia collectivè possit vitare. Sic Christus dixit: necesse est, ut veniant scandala; sed quia hæc necessitas est vaga, nec quemquam determinatè afficit, meritò culpatur, qui scandalum præbet.

Inst. 1. Deus præcipit vitare omnia peccata venialia: ergo homo potest omnia vitare. R. D. Ant. Deus præcipit vitare omnia peccata venialia præcepto indistincto a præceptis singulorum, C. præcepto distincto, N. Cum enim omnia simul non occurrant, nec omnia vitentur nisi vitando singula, frustrè adhiberetur præceptum vitandi omnia distinctum a præceptis vitandi singula.

Inst. 2. Si homo necessitatur ad aliquod peccatum veniale indeterminatè, quantumvis sit liber circa hoc, vel illud determinatè, non potest illi præcipi, ut vitet omnia: ergo. Prob. Sequela. Ex hoc quod homo necessitatur existere in aliquo loco indeterminatè, quamvis sit liber ad existendum in hoc, vel illo loco determinatè, non potest illi præcipi, ut nullibi existat: ergo similiter. R. N. Ant. ad Probant. N. Conseq. disparitas est, quod homo ratione corporis necessariò semper existat in aliquo loco determinatè: at homo non semper necessariò existit in exercitio alicujus peccati venialis; unde est perfectè liber circa singula peccata venialia, non autem circa quemlibet locum.

Inst. 3. Homo potest vitare singula peccata venialia: ergo omnia; non enim plus dicit singula, quam omnia. R. N. Conseq. & ejus probat. Omnia enim plus importat difficultatis, quam singula seorsim, & secundum se, ut ostendimus. Sic non valet: nullus est lapis in acervo, quem homo non possit ferre: ergo potest omnes. Nulla est hora diei, in qua infirmus non possit abstinere a cibo: ergo potest abstinere tota die. Nullum est vectigal, quod non possit solvere pauper: ergo potest omnia: quia non valet consequentia a sensu distributivo ad col-

lectivum, quando in collectione importatur specialis difficultas, quæ non reperitur in singulis seorsim, ut contingit in proposito. Ut autem valeret consequentia, deberet sic formari antecedens: Homo potest vitare singula peccata venialia, & hoc, & illud, &c. continuando usque ad ultimum: ergo & omnia. Sed tunc negandum est Ant. ista enim continuatio est difficultatis difficultatum.

Inst. 4. Oramus quotidie, ut ad nullum declinemus peccatum: ergo possumus vitare omnia. R. N. Conseq. Sic enim oramus, quia nullum est determinatè, quod non possumus vitare; unde petimus vitare omnia, quantum possibile est.

Inst. 5. Si homo non posset vitare omnia peccata venialia, posset vitare omnia: potest enim velle id, quod ei necessarium est. Falsum Conseq. ergo. R. N. Maj. Quia non vitare omnia est aliquod præceptum determinatum violare, quod est ex se malum & turpe. Ad probat. nego illam universaliter sumptam; quando enim id, quod est necessarium, est aliunde ex se malum, ut v. gr. homicidium casuale, non licet illud velle, quia non excusatur nisi ratione impotentie. Possimus autem non velle, & sic prout stat sub velle, ad sub potentiam.

Inst. 6. Omnia peccata venialia, etiam collectivè sumpta, quæ iustus committit, liberè committit: ergo potest omnia collectivè vitare. R. D. Ant. Omnia peccata venialia, etiam collectivè sumpta, liberè committit, committendo liberè singula seorsim, C. committendo collectionem omnium independenter a singulis, N. Ista enim collectio omnium ut distincta a singulis, ex quibus exurgit, est chymera.

Inferes: ergo neque per speciale privilegium possunt vitari omnia peccata venialia collectivè, siquidem ista collectio ex dicitur sit chymera. R. N. Illationem. Dum enim dicimus, omnia peccata venialia collectivè posse vitari per speciale privilegium, non intelligimus collectionem omnium ut distinctam a singulis, sed sensus est, quod ex specialissima gratia homo possit sic vitare & hoc, & illud, & istud, & ita continuando tempore vitæ; non obstantibus undequaque hostibus prementibus, ut in nullo deficiat, & sic omnia vitet.

Inst. ultimo. Quamdiu homo facit totum, quod potest, non peccat etiam venialiter; atqui homo potest semper facere totum; quod potest; ut patet ex terminis: ergo potest nunquam peccare venialiter. R. D. Min. Homo potest semper potentia antecedente, & in sensu diviso facere totum, quod potest, C. Potentia consequente & in sensu composito, N. Præter enim gratias sufficientes, quæ homini iusto tribuunt posse facere totum, quod potest, quod quidam vocant potentiam physicam, ut de lacto faciat, seu possit facere potentia consequente totum, quod potest; in tanta hominis corruptione, fragilitate, & instabilitate, in tot ac tantis tentationibus ex parte mundi, carnis, & diaboli, quæ specialissimum important difficultatem, requiritur specialissima gratia.

Petes 1. Utrum conclusio debeat intelligi de omnibus peccatis venialibus, non solum, quæ sunt ex imperfecta deliberatione, ut sunt motus secundo primi, sed etiam quæ perfectè deliberata sunt venialia et genere suo; ut mendacium, falsosum deliberatè dictum? R. In hoc dissentire Theologos, utriusque rationibus probabilibus, sed non cogentibus; quapropter unumquemque hac in parte in suo sensu abundare, per me licet. Id solum pro certo habendum esse: arbitror, viros sanctitate eminentes, dato quod propter multitudinem tentationum, & occasionum peccandi ex humana fragilitate aliquid quandoque remittant de suo fervore, qui difficile servatur diu in summo gradu intentionis, & inde in quadam levitate peccata ex objecto incident, hæc tamen raro ipsis obrepere, & multò rarius, quam peccata ex indeliberatione.

Petes 2. An iustus cum auxiliis communibus gratiæ sanctificantis annexis possit saltem aliquo parvo tempore esse sine peccato veniali? R. affirmative. Ita S. Doctor (3. p. q. 79. art. 4. ad 2.) qui expendens illud: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. dicit, quod illud verbum non est ita intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus. Idem docet Hieron. l. 3. adversus Pelag. c. 11. & 4. Aug. libr. de nat. & grat. c. 62. Ratio etiam suadet; cum enim non semper occurrant occasiones peccandi, nec continuo insurgant motus inordinati, nihil vetat, quin v. gr. recentèr baptizati, aut recentèr iustificati per alia sacramenta aliquo tempore maneant in hoc statu, pus & honestis exercitiis intenti. Quanto verò tempore? difficile est determinare. Quidam assignant 3. aut 4. horas, quidam integram diem, quidam plus, quidam minus, secundum fervorem charitatis plus minusve intereant.

Petes 3. Utrum sit de fide, iustus sine speciali privilegio non possit diu vivere sine peccato veniali? R. Equidem Concilium Trid. non dixisse diu, sed in tota vita; at per totam vitam videtur intellexisse, non tempus qualecumque vitæ, sed

aliquod notabile tempus. Nam potest contingere, quod adultus recens baptizatus paulo post moriatur absque eo quod ab instanti justificationis aliquod peccatum veniale commiserit, ut modo dicebam. Neque verisimile est, quod, si diceret hunc semel justificatum in tota vita vitasse omnia peccata venialia, incurreret anathema Concilii. Videtur ergo, quod Concilium per totam vitam intellexerit aliquod notabile tempus; consequenter, quod sit de fide semel justificatum non posse diu vitare omnia peccata venialia sine speciali privilegio. Hæc tamen sub correctione sanis sapientis.

Petes 4. An, & cui concessum sit istud speciale Privilegium? R. Certo concessum fuit B. M. Virgini: probabilis nulli alteri. Prima pars constat ex Trid. & Aug. citatis in conclusionem. Neque obstat, quod B. Virgo in recitatione Orationis Dominicæ dicitur: amitte nobis debita nostra: sic enim orabat nomine Ecclesie. Vel quia dimissa reputabat ea; a quibus præservabatur; sicut dicit Aug. l. 2. Confess. c. 7. Omnia dimissa mihi esse fateor, & quæ mea sponte feci, & quæ te ducere non feci. Non etiam obstat opinio contraria quorundam veterum, præsertim Chrysostomi, qui hom. 45. in Matth. dicit, B. Virginem ex vana gloria perisse a Christo miraculum in nuptiis Cana Galilee. Responder enim S. Thom. (3. p. q. 27. art. 2. ad 3.) Chrysostomum excessisse quantum ad hoc, vel hoc dixisse secundum aliorum sententiam. Idem die de aliis, qui opponi possunt, cum a communi Ecclesie doctrina in hac parte recedant. Secunda pars suadetur; quia sine sufficienti fundamento nullus est excipiendus a regula generalis Scripturæ: Næ est homo, qui non peccet. Nullum autem habemus fundamentum, neque in Patribus, neque in Conciliis, neque in Scripturis aliquem ab hac generali regula excipiendi, præter B. Virginem: ergo.

Si dicas: de Zacharia & Elisabeth legitur Luc. 1. Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus sine querela. Et de Joann. Baptista canit Ecclesia, Ne levi saltem maculare vitam crimine possit. Ad 1. respondet Aug. libr. de grat. Christi c. 48. Hoc dicitur esse secundum quamdam conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum iuste posse in accusationis & criminationis querelam vocare... Non autem dictum est secundum illam perfectionem iustitiae, in qua verè & omnimodè immaculati perfectique vivemus, nempe in Patria. Ad 2. Ecclesia canit Joann. Baptistam ea intentione petiisse desertum, ut ab omni culpa se redderet immunitem; sed id eum adeptum fuisse, non dicit. Insuper Ecclesia non dicit, a levi crimine simpliciter, ut fert argumentum; sed a levi fame, seu ut habet Breviarium Romanum a crimine lingue. Non negamus autem, plures Sanctos immunes fuisse ab omni peccato veniali in certo genere, ut S. Joann. Baptistam a peccato lingue; S. Thom. a peccato superbie; de quo canit Ecclesia, pestiferæ superbiæ nunquam persensit stimulum; S. Josephum a peccato contra castitatem, a tempore quo junectus fuit Purissimæ Virgini.

Inst. Matth. 11. dicit Christus: Inter natos mulierum non surrexit major Joann. Baptista. R. sensum esse Joann. Baptistam esse maximum, non omnium Sanctorum, sed omnium Prophetarum antiquæ legis. Patet ex Luc. 7. Major inter natos mulierum Propheta Joann. Baptista nemo est. Adde: licet Joann. Baptista sit inter Sanctos maximus, excepta B. Virgine, non sequitur ideo ipsum hoc singulare privilegium, de quo agitur, fuisse consecutum.

Articulo 3. hujus quæst. resolvit Auctor, hominem sine gratia non posse mereri vitam æternam, tunc ex illo Rom. 6. Gratia Dei vita æterna: tunc quia actus producentes ad finem, debent esse fini proportionati. Nullus autem actus naturalis est proportionatus vitæ æternæ, quæ est finis supernaturalis. Hanc difficultatem resumit S. Doct. q. 114. art. 2. de qua etiam nos ibidem.

#### ARTICULUS VII.

##### Utrum homo possit se præparare ad gratiam sine gratia?

Circa presentem quæst. duplex fuit error, scilicet Pelagianorum, & Semi-Pelag. Pelagiani, negantes peccatum originale, dicebant hominem propriis viribus posse bona opera facere, quibus promeretur primam gratiam, & sicque gratiam dari secundum meritum; quem errorem ipse Pelagius, ne damnaretur, damnavit in Conc. Diospolitano. Semi-Pelagiani, qui admittebant peccatum originale, & per illud attenuatas esse vires nature, fatebantur hominem non posse sine gratia bona opera facere; at tamen contendebant, vires nature non ita esse profligatas, quin posset propriis viribus aliquid boni operis initium efficere, scilicet petendo, desiderando, pulsando, querendo, aut quovis alio modo, quo non quidem gratiam mereretur, sed se ad illam disponeret, Deo illud initium tanquam occasionem arripientem conferendi nobis gratiam, ne esset per-







tamen ad exitum in anima, & corde premeditatur perveniat, solus est Domini dirigere verba, & opera; quasi dixisset Scriptura: non sufficit meditari, quid dicitur, aut facturus es, nisi Deus dirigat linguam, & opus, ut bene succedat. Et hoc est, quod etiam vulgo dicitur: Homo proponit, sed Deus disponit.

Inst. 2. In Scriptura plures referuntur, qui per bonum opus naturale pervenerunt ad gratiam, ut obstetrices Egyptiae per naturalem commiserationem erga pueros Hebraeorum; Rahab meretrix excipiendo, & non profecto exploratores Populi Dei; Zachaeus recipiendo Christum in domo sua; latro in cruce dicens Domine memento mei; Cornelius per orationes, & elemosinas, antequam in Christum crederet; Paulus 1. Tim. 1, quia Ignorans peccaverat. Sic etiam videmus plures converti ex aliquo motivo pure naturali, puta, ex morbo gravi, ex amici morte, ex periculo instante, &c. ergo. R. et illa bona naturalia, & has occasiones, & ista motiva esse insufficientia, nisi Deus cor interius per suam gratiam disponat, sique non excludere necessitatem gratiae interioris. Nisi Deus alius miseretur, inquit Aug. calum, & terra surdis loquuntur. Idque, vel ex eo constat, ut jam non semel advertimus, & notat Aug. l. 1. ad Simplic. quæst. 2. quod plerique sint inter Infideles, & Hereticos, quibus insunt plura bona moralia, qui sunt casti, aequi, misericordes, &c. qui tamen ad gratiam non perveniunt, dum confitentur aliis longe peioribus. Hinc Concil. Arausic. 2. can. 25. Manifestissime, inquit, credendum est, quod illius latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilia fides non fuit de natura, sed divine largitatis donum. Neque tamen negandum est, ista motiva, & occasiones, quibus aliqui videntur pervenisse ad gratiam, fuisse illis procurata ex speciali beneficio providentiæ sic res exterioris disponens, ut congruebat ad illos præ aliis perducendos ad gratiam.

Si dicas: S. Petrus missus est ad Cornelium, ut illum de fide instrueret: ergo Cornelius non habebat fidem. R. Cornelium antea habuisse fidem implicitam, quæ ut explicita evaderet, S. Petrus ad eum missus fuit. (2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3.) Plus difficultatis habet textus Apost. 1. Tim. 1. videtur enim adferre ignorantiam suam tanquam causam motivam, cur Deus ei fecerit misericordiam. Sed R. in his Apostoli verbis: Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, ignorantiam adferri, non ad extenuationem peccati, & ad movendum Deum hac ratione, ut misericordiam faciat, sed tanquam rationem objecti maxime convenientis, circa quod Deus exerceat suam misericordiam. Nam objectum, seu materia misericordiæ est miseria, unde quanto major est miseria, tanto magis est objectum convenientis misericordiæ, & tanto magis nata est eam commovere. Quamvis autem omne peccatum sit miseria quædam, magis tamen miseria significatur nomine ignorantia, quam peccati, quia miseria ut talis est involuntaria sicut ignorantia, atque hac ratione misericordiam commovet; peccatum autem est voluntarium, ideoque ut tale misericordiam non provocat, sed iram, & tanto majorem, quanto gravius est. Sensus igitur Apost. hic est: ideo misericordiam consecutus sum, quia magna erat mea miseria, hæc nimium, quod tanta mala facerem per ignorantiam, & incredulitatem; instat ægroti, qui per insaniam medicum cædit. Ita explicat Aug. Sermon. 8. 9. & 10. de verbis Apost. Hoc etiam sensu intelligendus est Christus, dum Luc. 23. dicit Pater, dimite illis, non enim scimus quid faciamus; hoc, inquam, sensu, quo dicitur Psalm. 24. Propitiaberis peccato meo, multum est enim. Psalm. 40. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Rom. 5. Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. His igitur Pauli verbis: Quia ignorans feci in incredulitate, non significatur in eo ratio meriti, aut dispositionis provocans Deum ad misericordiam, & gratiam illi præstandam, magis quam in Scripturis mox citatis; sed tantum, ut dictum est, magnitudo miseriæ significatur velut objectum convenientis maxime divinæ misericordiæ; quæ miseria, quia peccati erat, (nam, & ignorantia, & incredulitas in eo erat peccatum) non poterat secundum rationem meriti, aut dispositionis misericordiam Dei provocare, sed iram. Hac interpretatio, quæ est Estii, videtur inter alias probabilior.

Obj. 2. ex Patribus. S. Cyrillus Jerosol. S. Chrysost. Clemens Alex. & quidam alii videntur docere gratiam non prævenire voluntates nostras, sed eas expectare. R. 1. hos, & alios plerumque loqui de gratia habituali, aut de augmento gratiæ actualis ad perfectiora opera, non de prima gratia, per quam habetur initium bonæ voluntatis. Unde, cum dicunt Deum voluntatem nostram expectare, intelligunt voluntatem non nudam, sed adjunctam gratia. R. 2. dum negant gratiam antecedere voluntatem nostram, intelligunt de antecedenti necessitate, qua-

lem Manichæi, contra quos agunt, docebant. (1. part. quæst. 23. art. 1. ad 1.) Ita Auctor interpretatur Damascenum. R. 3. Variis aliis locis docent dogma Catholicum: Chrysostomus hom. de Adam, & Eva, hom. 12. in 1. Cor. ad illa verba, Quia habetis, quod non accepistis? & alibi. Clemens Alex. l. 2. Stromat. p. 273. l. 5. p. 396. & l. 6. p. 502. S. Cyrillus Chatechesi 5. & 6. R. 4. & finaliter non esse meritum hos, & alios Patres, nondum palam erupta hæresi Pelagianum, minus circumspecte de gratiæ prævenientis necessitate scripsisse, præsertim cum tunc maxime incumbere defendendo contra Manichæos libero arbitrio. Quapropter, si quid minus castigatum circa gratiam ipsi exciderit, benignè adduci debet ad sensum Catholicum, quem alibi exprimitur; securi enim loquebantur, cum tunc nullus esset gratiæ hostis. Ita respondet Aug. de Prædest. Sanct. c. 14. Quid igitur opus est, inquit, ut eorum scrutentur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficultate ad solvendum questione versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum sanctorum locis, & transcurriter attingerent. Horum Patrum testimonia pro, & contra non refero, quia non vacat; legi poterunt apud Auctores.

Obj. 3. Ex D. Thom. S. Doctor in 2. d. 5. quæst. 1. art. 1. ubi querit utrum Angeli indigerint gratia ad hoc, quod converterentur in Deum, postquam dixit esse quorundam opinionem, qui ad actum conversionis requirunt duplicem gratiam; unam gratiam facientem, quæ informat actum conversionis, & meritum reddit; aliam gratis datam, a qua elicitur substantia actus; sic prosequitur: Sed istam (scilicet secundam) gratiam ponere non videtur necessarium nisi ipsa libertas arbitrii gratia dicatur, quæ procul dubio nobis a Deo est. Et concludit sic: Et ideo aliter dicendum, quod ad eliciendum actum conversionis sufficit liberum arbitrium, quod se ad habendum gratiam per hunc actum preparat, & disponit. Et ibi. D. 28. q. 1. art. 4. querens ex præfesso, utrum homo possit se preparare ad gratiam sine aliqua gratia? Similiter resolvit, posse sine gratia gratis data; idque probat hac ratione: Quia preparatio, quæ est ad gratiam, non est per actus, qui sunt adæquandi ipsi gratiæ æqualitate proportionis, sicut meritum adæquatur præmio, & ideo non oportet, ut actus, quibus homo se ad gratiam præparat, sint naturam humanam excedentes. Quod videtur peremptorium; & directè contra probationes nostras: ergo. R. 1. Esto S. Thomam locis cit. censuisse, ut præterit argumentum; id unum respondendum foret, ipsum seniorum, & doctorem factum mutasse sententiam in operibus posterioribus, ut evidenter apparet ex prob. conclusionis. Notandum enim S. Thom. scripsisse in Sententias, cum cepit docere Parisiis annos natus tantum 25, circiter: Scripsit, inquit Guillelmus Tocco apud Echard, in Baccellaria, & in principio sui magisterii super 4. libros Sententiarum. Fuit autem renuntiatus Magister anno ætatis 25. Ad hoc tamen responsum non redigimur. Unde R. 2. S. Thomam mutasse dumtaxat modum loquendi, at non sententiam, adeoque in locis objectis non aliter censuisse, quam in Summa, & aliis locis, quæ laudavimus pro conclusione.

Ad cuius intelligentiam observandum est, tempore S. Thom. duplicem currere opinionem. Quidam dicebant ad hoc, ut homo se prepararet ad gratiam, requiri aliquod donum habituale gratis datum, quod vocabant lumen supernaturale gratiæ sanctificantis præambulum. Alii negabant, hujusmodi donum habituale supernaturale requiri. Et hæc est gratia, cuius necessitatem negat S. Doctor subscribendo huic 2. sententiæ ut communiori. Et ne videar hæc gratis dicere, in eius verba 2. loco citata: Si accipiatur gratia pro aliquo munere habituali animæ infuso: sic est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod nullus potest se ad gratiam gratiam facientem preparare, nisi per aliquod lumen menti infusum, quod est donum gratiæ gratis datæ: istud autem videtur inconveniens; quod probat ratione posita in argumento, & etiam quia secundum hoc esset abire in infinitum. Manifestum est igitur, quod, quando S. Doctor dicit cum communiori opinione sui ævi, hominem posse se preparare ad gratiam per virtutes naturales sine gratia, intelligit sine illo habituali dono, non excludens gratiam per modum motionis transeuntis, quam quidem ibi non exprimit, sed quam in operibus posterioribus expressit; quia vidit hunc loquendi modum suo ævo communem non satis recedere ab errore Pelagiano, ut dicit Quodlib. 1.

Neque obstat, quod eodem loco probet non requiri gratiam, ut homo se disponat ad gratiam, sicut non est necessesse, quod actus disponentes ad gratiam sint adæquandi gratiæ, & excedant naturam. Non enim dixit simpliciter, quod actus disponentes ad gratiam non sint illi adæquandi, sed quod non sint illi adæquandi, sicut meritum adæquatur præmio. Unde,

dè, cum addit non esse necesse quod sint excedentes naturam, sub eadem limitatione debet intelligi, scilicet sicut illam excedit meritum. Et hoc est verum, quia meritum petit naturam elevatam ad participationem divinæ naturæ per gratiam sanctificantem; actus autem disponens ad gratiam non petit naturam elevatam ad participationem divinæ naturæ, sed petit tantum eam constitutam in ordine supernaturali per gratiam actualem. Non etiam obstat, quod ibidem in fine art. dicit, quod ad gratiam gratiam facientem habendam ex solo arbitrio se homo potest preparare: quia, ut ait Quodlib. 1. art. 7. ad 1. quando dicitur hominem posse se preparare ad gratiam ex se, seu ex solo libero arbitrio, non excluditur necessitas auxilii divini; sicut, cum dicitur ignis ex se calefacere, non excluditur necessitas motus coelestis. Vult ergo tantum per has particulas, ex solo libero arbitrio, excludere istud donum habituale luminis infusi, de quo solo erat ibi questio.

Inst. 1. S. Doct. in 1. d. 41. quæst. 1. art. 3. o. dicit: Opus bonum præcedens gratiam non est causa meritoria gratiæ, sed solum dispositio ad illam: ergo. R. ipsum loqui de gratia habituali, ad quam bonum opus ex gratia actuali factum non est meritum, sed dispositio tantum.

Inst. 2. Ibid. ad 2. dicit, quod Prædestinatio respectu gloriæ habeat rationem iustitiæ distributiæ, sed respectu primi effectus, scilicet gratiæ, habeat rationem magis liberalitatis, quam iustitiæ, quia gratia datur gratis, & non redditur meritis. Unde ex parte recipientis, non est assignare causam, quare dignus sit gratia, sed solum dispositionem quandam; atqui id intelligi non potest de gratia habituali, cum loquatur de primo effectu prædestinationis, qui non est gratia habitualis, sed actualis: ergo. R. N. Min. Loquitur enim S. Doctor de primo effectu prædestinationis, qui scilicet sit primus inter præcipuos, qui sunt gratia habitualis, & gloria, quorum primus est gratia habitualis: quia, cum gratia habitualis sit proprie gratia, & gratia actualis distinctam speciem non constituit, sed reducta ad habituale, ut motio ad terminum, & dispositio ad formam, nomine gratiæ simpliciter dicitur intelligitur gratia habitualis, juxta regulam dialecticæ: Analogum per se sumptum stat pro famosiore analogato.

Inst. 3. S. Thom. in suppl. destituito ex 4. sent. quæst. 14. art. 4. docet, opera bona, extra charitatem facta, non esse quidem meritoria alicujus boni; valere tamen ad tria, scilicet ad consecutionem temporalium, ad dispositionem gratiæ, & ad assuefactionem bonorum operum: ergo. R. opera bona extra charitatem facta esse duplicis generis. Quædam sunt ex solo dictamine rationis sine ulla gratia. Quædam sunt cum auxilio gratiæ, qualia sunt a penitentibus per Spiritum sanctum, nondum inhabitantem, sed moventem, de quibus Trid. Sess. 6. Can. 3. Quæ sunt primi generis, non sunt meritoria de condigno alicujus boni; possunt tamen dici meritoria de congruo boni temporalis, quatenus divinam liberalitatem decet eorum intuitu quædam temporalia concedere. Quæ sunt secundi generis, non sunt etiam meritoria, saltem de condigno, gratiæ justificationis; sunt tamen dispositio ad illam: & de illis bonis operibus loquitur Auctor, quando dicit opera extra charitatem facta valere ad dispositionem ad gratiam. Quod si contendas, ipsum loqui de operibus sine gratia actuali factis, intelligendus est de dispositione ad gratiam, non positiva, neque negativa infallibilis, & ex omni parte, sed negativa fallibilis, & ex aliqua parte tantum, excludente aliquod impedimentum gratiæ, sed non omnia, quatenus exercendo quædam bona opera remouentur quædam peccata, quæ impedirent gratiam.

Inst. 4. S. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 6. docet, Deum contulisse gratiam, & gloriam Angelis proportionatè ad eorum naturalia: ergo nihil repugnat, quod conferat gratiam hominibus facientibus quod in se est ex viribus naturæ, secundum opera eorum naturalia. R. ex ipso S. Thom. ibid. ad 2. N. Conseq. Disparitas est, quod naturalia Angelorum sint a solo Deo, ideoque nullo motivo naturali, sed a sola sua voluntate motus est ad dandum illis gratiam. Sed opera naturalia hominis facientis, quod in se est, sunt ab ipso homine, adeoque Deus in conferenda gratia secundum illa ab alio moveretur.

Inst. 5. S. Doct. hic quæst. 114. art. 3. docet, quod opus hominis justè secundum substantiam, & secundum quod procedit a libero arbitrio, meretur de congruo gloriam: ergo a fortiori gratiam. R. S. Thomam loqui de opere hominis justè secundum substantiam, & secundum quod procedit a libero arbitrio abstractè a gratia habituali, non actuali. Absurdè planè est ista cogitatio, S. Thomam somniasse unquam opus merè naturale, & sine ulla gratia factum, esse aliquo sensu meritorium gloriæ, id namque est plusquam Pelagianum. Loquitur ergo S. Doctor de opere justè secundum subs-

tantiam, & ut procedit a libero arbitrio sub influxu gratiæ actualis, etsi non habitualis.

Inst. 6. S. Doctor eodem cit. art. 3. paulò infra dicit, opus justè esse meritorium gloriæ ex condigno, ex duplici titulo; 1. quia est ex gratia Spiritus S. moventis nos. 2. Quia procedit a gratia habituali: ergo prius loquebatur de opere, secundum quod est a libero arbitrio sine gratia. R. N. Conseq. Quia hic loquitur de opere secundum quod procedit a gratia habituali, & actuali; prius de opere secundum quod procedit a gratia actuali tantum. Porro opus est meritorium gloriæ, secundum quod est a gratia actuali movente sub influxu gratiæ habitualis, seu secundum quod est a Spiritu S. simul inhabitante, & movente. Mirum profecto, tantam absurditatem a quibusdam urgeri, quasi S. Thom. qui ipsa quæst. præced. 109. art. 5. & 6. & alibi ipsum opus naturale nequidem vult esse dispositivum ad gratiam, vellet esse meritorium gloriæ; quod, ut dixi, est plusquam Pelagianum.

Inst. 7. S. Doct. 3. contra Gentes c. 159. dicit: Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divine gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Et loquitur de libero arbitrio gratia habituali, & actuali destituito; quia de ipso dicit, quod divinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit. Liberum autem arbitrium gratia actuali aditum potest gratiam mereri de congruo, aut saltem illam impetrare: ergo homo sine gratia potest se disponere saltem negativè ad gratiam. R. non impedire receptionem gratiæ posse intelligi dupliciter, ut jam dixi: 1. Secundum quid, & ex parte tantum: sic non impedit, qui aliquod præceptum observat, & peccatum aliquod vitat, quo gratiæ receptio impediretur. 2. Simpliciter, & ex omni parte: sic non impedit, qui observat omnia præcepta, & vitat omnia peccata. Homo lapsus potest sine gratia primo modo non impedire receptionem gratiæ, at non secundo modo, ut probavimus supra: id enim solum competit naturæ integræ, ut in terminis dicit ipsemet S. Thom. initio cap. seq. 160. explicans, quod in præced. dixerat: Quod autem dictum est, inquit, in potestate liberi arbitrii esse ne impedimentum gratiæ præstat, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit. Si autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum, non erat omnino in potestate ejus, nullum impedimentum gratiæ præstare: etsi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu possit abstinere propria potestate, si tamen diu sibi relinquatur, in peccatum cadit, per quod gratiæ impedimentum præstat. Eodem sensu dicit Lect. 3. in c. 12. Hebr. Hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum gratiæ, ex gratia procedit. Itaque, dato S. Thom. loquutum fuisse de libero arbitrio gratia non aditum, tam pro non impedire, quam pro impedire, D. Consequens: ergo homo potest sine gratia se disponere saltem negativè ad gratiam, dispositione ex parte, & fallibili, C. Dispositione absoluta, & infallibili. Videmus enim, ut jam pluries observavi, gratiam minoribus peccatoribus denegari, quæ peioribus conceditur. Hunc D. Thom. textum in Tract. de Deo Diss. 8. art. 4. §. 3. paulò aliter exposuimus: sed re attentius inspecta, presentis solutioni stamus.

Inst. 8. S. Thom. quæst. 14. de verit. art. 11. ad 1. dicit: Si quis enutritus in sylvis ductum naturalis rationis sequatur in appetitu boni, & fuga mali, certissime tenendum est, quod ei Deus, vel per inspirationem revelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. Idem docet quæst. 24. de verit. art. 1. ad 2. & in 2. d. 28. quæst. 1. art. 4. o. ergo. R. N. Conseq. Intelligit enim S. Doct. de faciente, quod in se est auxilio gratiæ, ut palam ostendimus in probat. Conclusionis: & patet insuper, tum quia affert exemplum Cornelii, quem ipsemet 2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. docet fecisse, quod in se est, ex auxilio gratiæ: tum quia loquitur de faciente, quod in se est per totius legis observantiam, quam etiam ipse superius docuit non esse possibilem sine gratia. Si dicas, hunc hominem, de quo loquitur carere fide, quod est primum auxilium gratiæ, R. ipsum carere fide explicita, sed non implicita. Confer, quæ dixi in Tract. de Deo, Dissert. 7. art. 8. Obj. 5.

Obj. ultimè. Qui plura opera moralitè bona facit magis, dignus est accipere gratiam, quam qui pauciora; atqui homo potest ex se sine gratia facere quædam opera moralitè bona: ergo. Confirmatur: Magis congruum est dare gratiam minus indignis, seu pauciora impedimenta ponentibus, quam magis indignis, & plura impedimenta ponentibus; atqui homo potest ex se quædam impedimenta non ponere: ergo. R. N. Maj. Opera enim moralitè bona ex solis naturæ viribus facta neque condignitatem, neque proportionem ullam habent cum gratia, cum sint diversi, & inferioris ordinis ad illam. Ad Confirmationem, N. Maj. Cum enim collatio primæ gratiæ pen-